


Ec. 13. 4to





EPITHALA

MION.

ORNATISSIMO

VIRO D. VITO BONO ARCTOPOLITANO, ET HONESTISSIMÆ VIRGINI ANNÆ FILIÆ MAGNIFICI & CLARIS: VIRI D. MAGISTRI IOHANNIS TRUCKENROTH ILLUSTRIS: PRINCIPIS ANHALTINI IOACHIMI ERNESTI CANCELLARIJ.

Scriptum à

MICHAELE ANNISIO

Seruestano.



VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich & Antonius Schöne.

ANNO

M. D. LXXI.

*Affini suo Clarissimo
Andreas Kupstern*



ORNA TISSIMO
VIRO D. VITO BONO AR
CITOBOITANO ET HORTENSIO
DE VITIZI APTO ET
SACRORUM SACRILEGIA
TRICENARIO PRAEFATIO
per Antonium Ludovicum
Goesium
Geneuae
MICHAELIS ANTONIO
Buchhändler
VITTEBROG
Excusum Chamae (Kama) G. M.
anno 1720
M. D. C. C. L. X. X.



EPITHALAMION.



Avta velut dubiam spacioſa per æquora
puppin,

Prouidus in medijs fluctibus arte regit:
Sic regit humanam per mille pericula vi-
tam

Coniugium, Domini cuncta regentis opus.
Hic noſtri cauſas ortus, qua caſtus & ipſe
Diſtet ab inferna colluuiſione Deus,
Hic ferre ex animo ſummo pia vota parenti,
Hic homines curæ diſcimus eſſe Deo.
Namq; fremens ira nigrae Dux impius aulae,
Hoc vitæ varia concutit arte genus.
Sapè infecta ferox ſæua lue corpora ſternit,
Diraq; peſtifera tabe venena ſerit.
Quoſq; tori leges producunt, afficit agrè
Infantum miſeris corpora parua modis.
Immenſaq; premit crebrò penuria edendi,
Et facit vt victum deneget ægra ſeges.
Ardua fumiferas voluens per culmina flammæ,
Abſumit rapido funditus igne domos.
Aut longo ad victum partas multoq; labore,
Externo raptas milite perdit opes.
Multa venenofæ texunt mendacia lingua,
Quæ fera coniugibus ſemina litis eunt.
Iſta ſuperueniunt homines incommoda multos,
Regula quos vitæ connubialis habet.
Quod Deus inſtituit, Serpens euertere tentat,
Inq; locum ſordes ſubſtituiſſe ſuas.

A

ij

Quod

Quod Deus instituit discrimina mille sequuntur,
Nullus ab euentu iudicet acta Dei.
Quandò igitur tantis tempeftas acta procellis
Ingruit, & nigris fluctibus vnda fremit,
Mens pia, cum nusquam iam tutior anchora refset,
Fundit ad æternum vota precesq; Deum.
Hunc solum in medijs spumantibus æquoris vndis
Arripit, arreptum mente fideq; tenet.
Ordinis ille fui auxilium ceu verus amator
Mittit, & autor vt huic sic quoq; tutor adest.
Et licet inuolui fatis patiatur acerbis,
Euerti penitus non tamen ille finit.
Hic velut irriguo plantæ educuntur in horto,
Incrementa sibi laus trahit vndè Dei.
Si status hic rueret, ruere omnia iura necesse est,
Tàm reliquis maior, quam prior, esse solet.
Semine de nullo cum vi dicente creasset,
Quicquid habent cœlum, terra, fretumq; Deus:
Sanctum animal, diæq; capacius omnibus auræ
Ex massa terræ condidit ipse rubræ.
Inscripsitq; animo viuum suæ imaginis instar,
Discat vt autorem ritè referre suum.
Exin Tergemino decreta ferente senatu,
Iura dedit sancti non violanda tori.
Exemtamq; tuo latere, & præcordibus imis,
Confortem vitæ iunxit Adame tibi.
Vt sic ad latus, & rursus ad cor molle rediret,
Nempè animi affectu, nempè in amore pio.
Et nunc per populos ius inuiolabile lecti
Seruat adhuc, nectens vno in amore duos.
Omnibus

Omnibus & sanctum concessæ coniugis vsum
Indulget passim, ne vaga flamma foret.
Neuè homo Diuina Factoris imagine constans,
More feræ nulla tempora lege terat.
Sed trahat, ingenuum pectus stimulante calore,
Coniugis obiectu pharmaca certa malis.
Atq; ita legitimo generatim educat in auras,
Vitis in exemplum, pignora multa toro,
Vtq; palàm edoceat, cœlo nil iuris habere,
Quorum vesanus pectora torret amor,
Et se dissimilem casta virtute colubro
Esse malo, illuuias quem scelerata manet:
Ipse sacro metas flammæ ponebat in horto,
Ipse sacerdotis munere functus erat.
Ergò qui thalamum vitæ præferre solutæ
Gaudet, & hæc certa coniuge vincla subit,
Arguit ille palàm, tota se mente fateri
Quòd castum Numen coelica templa colat:
Cuius sæua vorax in eos furor induat arma,
In quibus effrenis regna libido tenet.
Seq; bono auspicio tam casti Numinis ortum,
More creatoris viuat vt ipse sui.
Qui verò sanctum eiecit de corde pudorem,
Et spretis turpi legibus igne calet,
Hac tetra Stygio coniurat labe Tyranno,
Imperio cuius subdita corda gerit.
Atq; Deum impurum fingit, qui numine amico
Impuros animos foedaq; corda probet.
Deinde nequit gemitus ad sidera mittere castos,
Votaq; discerpens omnia ventus agit.

A iij Non

Non putrida pulcri nascuntur in arbore foetus,
Prouenit è foeda nulla palude seges.
Expertem thalami sine crimine ducere vitam
Grande opus, & rarus, qui benè præstat, adest.
Quemq; tori prohibent vel res à iure vel ætas,
Ardores precibus supprimat ille suos.
Seq; genus vitæ castum conseruet ad istud,
Vt tandem hoc casta mente subire queat.
O felix vitæ status, ô felicior ille
Cui casta ad tenerum dormit amica latus.
Quæ pulchrè iam iamq; viro se accommodat ipsa,
Moribus, ingenio, corde, pudore, sono.
Nec cum sorte fidem mutat, sed tempore tristi
Tàm bona perdurat, quàm meliore fuit.
Disponitq; domum solers, & pignora gignit
Grata futura homini, grata futura Deo.
Scilicet vt iunctis hac lege parentibus ortus,
Est decus antè homines, est decus antè Deum:
Sic illegitimè matris qui prodijt aluo,
Sordet & ante homines, sordet & ante Deum.
Cimmeria septus nebula velut omnia vitæ
Tempora deducit, luce et honore caret.
Et virtute licet famam sibi quærere tentet,
Dedecus hoc virtus tollere nulla potest.
Ingentes auido titulos sitit ore **VVIGANDVS,**
Non tamen impurus desinit esse nothus.
Gratior est, claroq; magis cum lumine fulget,
In casto virtus corpore si qua venit.
Summe Deus prohibe foedos à cordibus ignes,
Nosq; tua semper viuere lege doce.

Iam

Iam quicumq; cupis flammis vitare nefandas,
Elige quæ flammis sit medicina tuis.
Elige, sed prius hanc pacto quam fœdere ducas,
Est altè ratio matris habenda tibi.
Inculpata gerit vitam si mater honestam,
Coniugij certam det tibi nata fidem.
Exin funde preces, & Christum voce animoq;
Ad tua coniugij festa venire iube.
Sic procedet opus, sic auræ vela secunda,
Nec vento nec aqua concutiente, vehent.
Id faciens voluensq; animo tu candide VITE,
Sancta paras focij iura subire tori.
Quanta tibi surgunt hodierna gaudia luce,
Quantus in hoc vno tempore venit honos.
Pulcra tibi vinclo sociat se virgo iugali,
Cui mistus niueo fulget in ore rubor.
Splendida quam domus, & virtus celebrata parentum,
Ad coeli magna sidera laude vehit.
Namq; patre in lucem venit prognata IOHANNNE,
Cui tribuit siccus nomina grata rubor.
Qui benè consilijs laudatam dirigit aulam,
Prudentiq; animo prouehit acta Ducis,
Hic vbi stat validis arx vrſi condita faxis,
Altaq; turritum tollit ad astra caput.
Flauus & arua secans curuis Sala flexibus errat,
Et vitreas cursum torquet ad Albis aquas.
Non te pœniteat focerij, sponsæq; pudicæ
Quam tibi disposuit cura paterna Dei.
Vt quondam Abramidi coniunxit amore Rebeccam,
Quando caua ad fontem dolia complet aquis.
Hac

Hac frueri ante alias, hanc solam solus amato,
Et magna in focero suspice dona tuo.
Chaoniae volucris sub imagine spiritus adsit,
Afflatu conflans pectora vestra suo,
Ut dulcem spirent consensum semper vtrinque:
Regnet amor: procul hinc omnis amaror eat.
Vos Deus in patrijs æuum velit exigere aruis,
Vna domus iuuenes vos tegat, vna senes.
Tandem post multos annos, & pignora multa,
Lumina cum vera claudite vestra fide.

F I N I S.



Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978




me







3.

EPITHALA
MION.
ORNATISSIMO
VIRO D. VITO BONO AR
CTOPOLITANO, ET HONESTISSI
MÆ VIRGINI ANNÆ FILIÆ MAGNI
fici & Claris: Viri D. Magistri IOHANNIS
TRVCKENROTH Illustris: Prin
cipis Anhaltini Ioachimi Ernesti
Cancellarij.
Scriptum à
MICHAELE ANNISIO
Seruestano.

VVITEBERGÆ
*Excudebant Clemens Schleich & An
tonius Schöne.*
ANNO
M. D. LXXI.

*Affini suo Charis
Andreas Kuppel*

